

THESIS XL.

Potest Sacerdos et per se debet poenitenti confesso salutare et convenientes satisfactiones iniungere, quae pars sunt integralis Sacramenti atque ex opere operato extinguunt debitum poenae eisdem respondentis. Non est autem necesse ut ante absolutionem satisfactio peragatur.

I. Ut possit Sacerdos satisfactiones poenitenti imponere, haec requiruntur, ex parte Sacerdotis quod habeat potestatem imponendi poenas, ex parte vero poenitentis, quod sit dignus poena, sitque subditus Sacerdotis quoad hanc quoque potestatem. Atqui Sacerdos potestatem habet imponendi poenas: nam 1) potestas eius est potestas non solum solvendi sed et ligandi; potestas enim solvendi et ligandi Apostolis collata et ceteris sacerdotibus participata se extendit quoque ad internum conscientiae forum, cum sit potestas remittendi et retinendi peccata; potestas vero ligandi est potestas quoque imponendi obligationem poenae. 2) Potestas remittendi et retinendi peccata ita semper in Ecclesia intellecta fuit, ut ius haberent Sacerdotes iniungendi salutare poenitentias fidelibus, veniam petentibus: ergo. Quod vero poenitens dignus sit poena liquet ex eo quod remissa culpa manet reatus alicuius poenae temporalis, pro qua satisfacere potest. Quod autem poenitens sit subditus Sacerdoti etiam prout habet hic potestatem poenam imponendi patet, quia potestas haec est potestas iudicis, poenitens autem subditus est Sacerdoti prout est iudex: et cum potestas ligandi sit etiam potestas imponendi poenas in foro interno et haec exeri non possit nisi in poenitentem, sequitur hunc esse subditum illi potestati. Potest ergo Sacerdos iniungere poenam seu satisfactiones poenitenti. Quod totum constat ex constanti et universali praxi Ecclesiae, qua modus satisfactionis iniungebatur poenitentibus tum in poenitentia publica tum in privata, ut ex historia antiqui ritus poenitentiae, ex Canonibus poenitentialibus et ex pluribus Patrum testimoniis iam citatis liquet.

II. Dicimus quod debet *per se*, nam *per accidens* fieri potest ut non debeat, si e. g. poenitens confessus nullam satisfactionem exsequi possit. Verum modo loquimur de eo, quod natura potestatis a Christo institutae ratione sui exigit. Porro haec 1) est doctrina. Conc. Trid. Sess. XIV. cp. 8. « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggererint, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutare et convenientes poenitentias iniungere. » Illudque habere prae oculis debent « ut satisfactio, quam imponunt,

non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem ». Sane 2) id ex eadem memorata praxi probatur; ea enim praxis constans et universalis impositae satisfactionis a ministro absolutionis indicium est manifestum persuasionis, in qua fuit semper Ecclesia, et necessitatis alicuius satisfactionis peragendae a poenitente et obligationis Sacerdotis eam iniungendi. Quod rursus confirmatur a veteribus canonibus iubentibus Sacerdotes imponere huiusmodi poenitentias atque ab omnibus libris poenitentialibus idem praescribentibus. 3) Id quoque colligitur ex natura potestatis a Christo institutae. Etenim a) Sacramentum Poenitentiae est institutum ad delendum peccatum: deletio vero peccati non est tantum deletio reatus culpa, sed etiam simul poenae; Sacramentum ergo eo spectat ut peccatum prorsus aboleat deletio reatu omni culpa et poenae. Id satis indicatur a Tridentino Sess. XIV, cn. 4. dicente: « Si quis negaverit ad integram et perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in poenitente quasi materiam Sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur » etc. Ponit ergo effectum Sacramenti esse integram et perfectam remissionem peccati, ad quam satisfactio quoque concurrat, quae spectat per se ad delendum reatum poenae temporalis; arbitratur igitur Concilium Sacramentum institutum esse ad delendum non solum reatum culpa et poenae aeternae, sed etiam poenae temporalis. Unde cp. 2. non negat Sacramentum poenitentiae posse producere plenam et integram peccatorum remissionem, sicut baptismus, sed docet quod hic effectus per Sacramentum Poenitentiae obtineri non potest sine magnis nostris fletibus et laboribus: quare poenitentiam dicit laboriosum quemdam baptismum. At deleta culpa per absolutionem manet aliquis reatus poenae, qui satisfactione tolli potest: ad integritatem ergo Sacramenti pertinet et illud, quo reatus poenae tollitur, h. e. satisfactio. Haec autem ut sit Sacramentalis, debet a ministro Sacramenti imponi; nequit enim actio poenitentis esse sacramentalis nisi subiiciatur potestati clavium. Oportet ergo quod Sacerdos satisfactionem iniungat ut totus effectus Sacramenti obtineri possit, integrumque existat Sacramentum. b) Christus instituit iudices; voluit ergo ut ii se gererent sicut iudices decet: oportet autem ut iudex reo, qui adhuc alicuius poenae debitor est, solutionem eiusdem iniungat; ergo et Sacerdos satisfactionem imponere debet. Hinc debitum iniungendi has satisfactiones in vindictam criminum colligit Tridentina Synodus ex potestate collata non solum solvendi, sed et ligandi. Praeterea c) hae satisfactoriae poenae dum valent ad extinguendum debitum, eo etiam conferunt magnopere

ut in futurum a peccato revocent reddantque cautiores et vigilantiores in futurum poenitentes: « poena enim; ut ait s. Thomas q. XV, a. 1. a culpa futura praeservat; quia non facile homo ad peccata redit, si poenam expertus est: unde secundum philosophum poenae medicinae sunt »: atque insuper eadem medentur peccatorum reliquiis et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt, ut ait Trid. l. c. Atqui Sacerdos in foro interno non tantum est iudex, sed et medicus, quemadmodum frequenter vocatur a Patribus (Cf. Th. XXXIII. n. V.): oportet ergo ut convenientem et salutarem medicinam exhibeat, iniungendo pro qualitate criminum et poenitentium facultate satisfactiones, quibus utrumque praestetur et expiatio criminis et vulnerum medela.

Hinc liquet cur dicantur satisfactiones *convenientes*, pro mensura scilicet delicti praeteriti quod expiandum est, *salutares* autem pro revocando homines in futurum a peccato.

Dices: poena, quae manet solvenda, est poena alterius vitae; nonne potest iustificatus velle eam ipsam poenam, quam debet, solvere in altera vita? cur tenetur modo satisfacere?

Respondeo: id potius ostendere haud certum esse quod poena primo et per se debita peccato sit poena alterius vitae. Cf. Th. XXXVI in fine. Ceterum postquam Deus etiam in hac vita satisfactionem pro ea acceptat, potest haec satisfactio et ipsa esse praecepta. Potest enim praecipi divino iure actus virtutis, quod et maxime conducit ad emendationem vitae in posterum et ad maiorem conformitatem cum Christo; huiusmodi autem sunt opera satisfactionis. Exegisse vero Deum satisfactionem a suscipientibus Sacramentum novimus ex constanti doctrina Ecclesiae et ex indole quoque Sacramenti.

III. Ex dictis liquet satisfactionem esse partem Sacramenti: actio enim poenitentis ex Christi institutione requisita in suscipiente Sacramentum est eius pars materialis. Atque ita definitum est a Concilio Tridentino Sess. XIV. cp. 4. et cn. 4. Quaestio est utrum sit pars essentialis an tantum integralis. Certum est non esse partem essentialem; illud enim, sine quo Sacramentum esse potest, non est eius pars essentialis, Sacramentum autem vere est cum operatur: atqui certum est Sacramentum producere gratiam etiam antequam satisfactio fiat: ergo. Minor constat ex usu Ecclesiae praemittendi absolutionem satisfactioni, quae absolutio creditur efficax gratiae Sacramentalis statim ac confertur: hic autem usus ne dum communis est et probatus modo a pluribus seculis, sed et antiquitus viguit, ut demonstrabimus in Append. §. II. Ratione quoque probatur; quia eo modo se habet satisfactio ad constitutionem Sacramenti, quod est causa remissionis peccati et reconciliationis cum Deo, sicut se habet

remissio poenae temporalis, quae est proprius effectus satisfactionis, ad remissionem peccati et reconciliationem, quae est effectus Sacramenti. Atqui remissio poenae temporalis non est essentialis remissioni peccati sive reconciliationi; potest enim vere remitti peccatum, manente adhuc obligatione alicuius temporalis poenae: ergo nec satisfactio est essentialis Sacramento; ideoque, si est pars, non est pars essentialis, sed integralis. Itaque Sacramentum integre acceptum est institutum ad plenam remissionem peccati; sed sicut in hoc effectu distinguendum est id quod est essenziale, ut remissio peccati sit, et quod est accidentale, ita in causa eiusdem effectus distinguendum est quod est essenziale ad causae ipsius constitutionem, et quod non est essenziale: quod autem essenziale non est, complet tamen constitutionem rei, quae ex pluribus partibus coalescit, illud pars integralis dicitur.

IV. Succedit quaestio de effectu proprio satisfactionis sacramentalis. Licet ipsa sit pars tantum integralis, est tamen pars Sacramenti ex institutione Dei, qui ministro Sacramenti potestatem fecit imponendi poenitenti aliquam satisfactionem iussitque ordinarie eam imponi: ex hoc autem consequitur quod satisfactio imposita a ministro Sacramenti aliquem effectum certe operetur vi ipsius institutionis divinae; ideoque non tantum ex opere operantis sed et ex opere operato eum effectum producat, ad quem a Deo est ordinata. Hoc enim est proprium institutionis ritus sacramentalis, ut effectum ex opere operato producat; quod autem aliqua pars ritus sit essentialis, aliqua tantum integralis, id discrimen quidem statuit in effectu, si pars integralis adhiberi potest vi ipsius institutionis post obtentum effectum principalem: quoad modum vero producendi, si utraque est pars Sacramenti ex institutione Christi, utraque efficiet eo modo, quo sacramentales ritus solent efficere.

Iam vero certum est 1° effectum proprium satisfactionis sacramentalis esse remissionem poenae temporalis, quae quidem remissio gratia quaedam est, quatenus est beneficium, licet non sit gratia sanctificans. Hic enim est per se proprius finis ideoque effectus satisfactionis, quae proinde non est necessaria in baptismo, quia per ipsum totius quoque poenae reatus tollitur (Sess. XIV. cp. 2. coll. Sess. V. cn. 5. Sess. VI. cp. 14). Et sane haec pars hunc effectum maxime significat, est enim quaedam punitio peccati, qua compensatio exhibetur iustitiae Dei vindicativae: ergo remissio poenae debita efficitur ab hac parte, posito quod Sacramenta efficiant quod significant. Quocirca per satisfactionem sacramentalem, praeter eam remissionem poenae, quae responderet ei ex opere operantis, obtinetur ex opere operato remissio poenae eidem respondentis per ap-

plicationem satisfactionum Christi, quae virtute illius partis sacramentalis fit: quare, ceteris paribus, maior est remissio poenae obtenta per satisfactionem sacramentalem, quam si non esset sacramentalis. Diximus obtineri remissionem poenae debitae respondentis illi satisfactioni; non enim est in potestate Sacerdotis efficere ut quaevis satisfactio sufficiat pro quavis expianda poena ex lege Dei debita: quemadmodum nec iudex delegatus id efficere potest quoad poenas a lege vel Rege statutas. Unde monentur Sacerdotes a Tridentino ut convenientes satisfactiones, nec leves pro gravibus peccatis imponant: quae monitio inutilis esset, si ea potestas competeret Sacerdotibus. Tollitur ergo reatus illius poenae, quam Deus novit ei satisfactioni respondere.

V. An vero 2^o gratiam aliquam sanctificantem confert quoque haec pars ex opere operato? Res est in quaestione posita: in partem affirmantem inclinat Suarez. Disp. XXXVII. Sect. 2; negantem tuetur cum aliis Lugus D. XXV. Sect. 4. Et quidem ex eo quod ipsa est pars Sacramenti id non necessario consequitur quod gratiam causet sanctificantem: quia non est necesse ut parti competat definitio et essentia totius, « sicut sanguis (ait idem Lugus ibid.) est pars humanae naturae debuitque a Verbo immediate assumi, et tamen in veriore sententia non est informatus anima rationali, sed pars integrans naturam rationalem ». Cum ergo et satisfactio sit pars integrans Sacramenti pro effectu remissionis plenae et perfectae, quae absolvitur remissione poenae temporalis, necesse non est ut et ipsa conferat ex opere operato ad productionem gratiae, nam sine gratia interiori potest remitti poena. Sane Sacramentum eatenus confert gratiam quatenus tollit id quod secundum legem ordinariam non tollitur sine infusione gratiae: atqui id quidem verum est quoad culpam, non autem quoad poenam temporalem: cum ergo satisfactio eo spectet ut obtineat remissionem poenae, non est (ait Lugus) « unde colligamus ipsam habere novam virtutem ad conferendam vel augendam gratiam sanctificantem ». Ceterum distinctione aliqua uti licet. Scilicet concedi potest quod si satisfactio praecedat absolutionem, 1) conferat et ipsa ad maiorem collationem gratiae, quatenus se habet ut dispositio: 2) conferat quoque simul cum aliis ad gratiam causandam ex opere operato: tunc enim satisfactio concurrat simul cum confessione et contritione ad gratiam sacramentalem tanquam una pars materiae. Quamvis enim non sit necesse ut ea tota materia sit simul cum absolutione, quando tamen est, tota operatur; concurrat enim ad effectum Sacramenti materia, omnes vero hi actus poenitentis sunt materia. Sicut etsi non sit essentialis alicui organo aliqua pars, quando tamen est, simul cum aliis partibus concurrat cum forma ad actum vitae.

Si autem satisfactio ponatur essentiâ Sacramenti completâ, h. e. post absolutionem, tunc necesse non videtur ut illud seorsim efficiat, quod efficeret simul cum aliis, quodque iam effectum est, et ipsa non efficeret nisi prout simul cum aliis partibus integraret materiam, quae concurreret cum forma ad effectum Sacramenti. Et quidem nulla est auctoritas, quae nos cogat hanc efficaciam adserere satisfactioni; atque est praeterea molesta difficultas. Nam si ea ex opere operato gratiam sanctificantem confert, vel confert primam vel secundam: si primam, ergo qui in peccato est, per solam satisfactionem addita attritione poterit iustificari: si secundam, ergo qui in peccato mortali satisfactionem peragit, peccat; nam peccat qui in peccato suscipit Sacramentum vivorum: satisfactio vere ex opere operato conferens gratiam sanctificantem secundam, se haberet ut Sacramentum vivorum. Atque haec de ista quaestione satis.

VI. Hic locus est expediendae quaestioni, quam in Th. XIV dimisimus insolutam. Nimirum quaeritur utrum si satisfactio operatur aliquid ex opere operato, oporteat et alios actus poenitentis contritionem et confessionem pariter aliquid efficere ex opere operato quoad remissionem culpae. Respondemus non videri id necessario esse consequens. Nam, ut iam monuimus, integer effectus Sacramenti in duos partiales distingui potest; quorum alter est remissio culpae ac poenae aeternae, alter remissio reliquae poenae temporalis. Cum hic sit integer et totalis effectus Sacramenti, requiritur pro utroque partiali effectu, qui seorsim obtinetur, aliquod opus operatum: cum autem remissio reliquae poenae obtineatur per satisfactionem impositam potestate clavium, quae tamen sine ipsa actuali satisfactione nequit formaliter concurrere ad remissionem poenae: opus est ut dignitas operis operati in ipsa satisfactione reperiatur. Id vero non valet pro aliis actibus; nam etsi ii solum ut dispositiones concurrant ad gratiam remissionis obtinendam, in absolutione Sacerdotis reperitur efficientia ex opere operato, eademque absolutio formaliter efficit remissionem culpae, quam significat.

VII. Statuimus tandem opus non esse ut satisfactio ante absolutionem peragatur. Id est contra Arnaldum, qui id in libro de frequenti Communionem defendit, eiusque sequaces. Propositio Quesnelli 87 damnata sic habet: « Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur ». Cum opinionem Quesnelli secuti sint Pistorienses, eos rursus damnavit Pius VI in Bulla Auctorem Fidei n. 33 eorumque doctrinam quatenus ea statuebatur quod « ut vera ratio Sacramenti non nudum

nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem, » damnavit « ut falsam, temerariam, communi praxi Ecclesiae iniuriosam, inducentem in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum ». Inter propositiones scilicet Petri Oxomensis proscriptas a Sixto IV. quinta sic habet: « Non sunt absolventi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta ».

Sane 1^o rerum naturae non postulant hunc ordinem servari, ut prius satisfactio (alia a contritione et confessione) vel tota vel partialis praevertat absolutionem. Nam *a*) David statim ac ingemuit suumque peccatum Deo est confessus, veniam est consecutus, daturus poenas postea: *b*) ipseque Deus generatim testatur se remittere culpam peccatori statim ac ingemuerit, seu quocumque die conversus fuerit ab iniquitate sua. Ezech. XXXIII. 12.

Et re quidem vera vel est ante remissionem culpae integra exhibenda satisfactio in vindictam criminum, vel solum partialis. Si primum contendis, dicis aliquid quoad praxim impossibile: quis enim novit quantum debeat Deo? si alterum dicis: cum concedas aliquam satisfactionem exhiberi posse post absolutionem, eo ipso concedis non esse ex natura rei ut satisfactio praecedat absolutionem. Aliquam tamen requiri dicis et huius rei alia nequit esse ratio nisi ut aliqua compensatio Deo offenso exhibeatur; verum haec aliqua compensatio sufficienter exhibetur per contritionem et confessionem, quibus et vera conversio eiusdemque probatio continetur.

2^o. Praxis a tot seculis frequentata (ipsis adversariis fatentibus) in Ecclesia et ab Ecclesia probata ac defensa, oportet ut sit conformis institutioni Christi: agitur enim de administratione Sacramenti, in qua quoad essentialia nequit Ecclesia non sequi voluntatem institutoris.

Imo haec fuit semper ordinaria praxis Ecclesiae; quod enim ex conficta historia veteris Poenitentiae supponunt adversarii, olim per plures annos dilatam fuisse absolutionem sacramentalem saltem publice poenitentibus, eamque datam tantum in fine exactae Poenitentiae, id perperam affirmari ostendemus in seq. App. §. II.

Ceterum 3^o doctrina Ecclesiae semper est eadem. Docuit autem Tridentina Synodus iustificatis ordinarie superesse poenas luendas et ideo obligationem satisfactionis, ideoque posse hominem iustificari quin totum debitum poenae ei remittatur; id ergo tenuit et docuit ab initio Ecclesia: atqui cum hoc dogmate non cohaeret exigere ut poenae debitum solvatur antequam quis iustificetur: ergo.

APPENDIX DE INDULGENTIIS

Cum indulgentiae modus sint quidam, quo satisfactio Deo offertur pro extinctione debiti poenae; etsi locum habeant extra Sacramentum, opportune tamen de iisdem agitur a theologis post Sacramentum Poenitentiae, ut complectens hoc pacto tractatio omnia, quae ad remissionem pertinent peccatorum, completa censi possit. Volentes huic muneri, breviter quidem Appendicis instar, facere satis, proponemus primum conceptum Indulgentiae theologis universim communem; de iis enim indulgentiis disputamus, quas generatim doctores et fideles concipiunt, quaeque usu continuo Ecclesiae frequentantur: deinde earundem antiquam praxim investigabimus. Tum afferenda erit demonstratio potestatis existentis in Ecclesia easdem impertiendi et simul ostendendum cui haec potestas competat et quibus conditionibus exercitium ipsius potestatis sit obstrictum. Succedet deinceps quaestio de Indulgentiis pro defunctis, ac tandem de formulis concessionum indulgentiarum.

§. I.

Conceptus Indulgentiae.

I. Indulgentia, quae subiective accepta est facilitas animi seu lenitas, ea obiective seu effective sumpta, est gratia quaedam gratuita, venia, remissio (cf. Forcellini ad h. v.). Theologi ipseque Ecclesiae loquendi usus nomen indulgentiae accipiunt effective, eoque significatur quaedam remissio, quae poenitentibus per Ecclesiae auctoritatem datur. Notio indulgentiae, quae a tot seculis in Ecclesia frequentatur, eruenda est (ut bene monet cl. H. Hurter in Theologiae dogmaticae Compendio edit. 2. Tract. IX. c. 6. n. 576) ex authenticis Ecclesiae monumentis et decretis, quibus addere certe licet doctrinas communiter receptas scholasticorum.

Itaque si vel levem analysim instituis indulgentiarum, quae a pluribus seculis in Ecclesia conceduntur, haec apparent elementa: *a*) remissio poenae temporalis debitae Deo, *b*) quae extra Sacramentum datur, *c*) ex thesauro satisfactionum Christi ac sanctorum, qui in Ecclesia esse dicitur, *d*) auctoritas concedentis, *e*) causa aliqua pia, propter quam indulgentiae conceduntur, *f*) subiectum capax eiusdem indulgentiae. Haec omnia complexus est Clemens VI in decretali extrav. *Unigenitus de Poenitentiis et remissionibus*. « Iesus Christus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset,